



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 29. S. Sabas Constantinopoli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. m<sup>u</sup>m tertium, Constantinopolim secun-  
A. C. 531. do profectus est. Ante biennium ami-  
Mart. Rom. corum optimum amiserat S. Theodosium  
II. Jan. Abbatem, qui 11. Jan. nempe die illa,  
 qua Ecclesia ejus Memoriam colit, ad Cœ-  
 lestia translatus fuerat.

e. 71.

## §. XXIX.

*S. Sabas Constantinopoli.*

Petrus Patriarcha S. Sabam venturum, at-  
 que in itinere esse, Constantinopolim  
 perscripserat; quo accepto nuncio l<sup>a</sup>tissimus  
 Imperator Tiremes emisit, quibus  
 vir Sanctus exciperetur. In illis Epiphanius  
 Patriarcha, Hypacius Episcopus Ephesus  
 sinus aliisque Episcopus, cui nomen Eu-  
 sebius, venienti obviam provec*ti* sunt.  
 Hi exceptum S. Senem ad Imperatorem  
 deduxerunt, qui, cum eundem cum Epis-  
 copis intra Siparium admisisset, S. viri  
 Caput fulgidissimæ lucis corona cinctum  
 conspicere sibi visus, obviam processit,  
 prostravit se in terram, & surgens oscu-  
 latus est caput ejus, & Benedictionem  
 accepit. Tum S. Senem ad Theodoram  
 Imperatricem deduxit, quæ & ipsa ante  
 pedes ejus prostrata ait: *Pater mi! ora*  
*Deum pro me, ut mibi Filium donet!* S.  
 Sabas respondit: *Dominus Gloriæ Impe-*  
*rium Vestrum conservet, atque Pietatem*  
*det & Victoriam.* Afflixit admodum Im-  
 peratricem, quod prolem masculam non  
 promi-

promisisset. Postquam egressus esset, Pa- Sæculum VI.  
tribus, qui eum comitabantur, hujus rei A.C. 531.  
causam sciscitantibus dixit: *credite mibi,*  
*Patres mei! ex utero isto non prodibit*  
*fructus, ne in Doctrina Severi enutriat-*  
*& Ecclesiæ majora mala, quam olim*  
*Anastasius creet.*

SS. Abbatibus in Regia manere licuit,  
cumque S. Sabas Libellos supplices Eccle- L. 17. Cod.  
siarum Palæstinæ Imperatori tradidisset, de Hær.  
concepta ira in Samaritas versa est. Con-  
dedit Constitutionem, qua ipsis prohibe-  
batur, ne Synagogas haberent, ne munia  
publica susciperent, ne alter alteri in Bo-  
nis relictis succederet, aut quidquam Do-  
natione alterius possent acquirere. Ali-  
qui etiam præsertim Seditiosorum Duces  
capite plexi. Arsenio quoque morien-  
dum fuisset, sed postquam aliquamdiu  
latvisset, opem S. Sabæ adhucdum Con-  
stantinopoli morantis imploravit, atque  
cum omnibus suis Baptismum recepit.

Diebus aliquot elapsis Imperator ac-  
cersto S. viro ait: *Pater mi! audivi quod*  
*plura Monasteria in Deserto condideris;*  
*Reditus pete, quantos volueris, quibus Mo-*  
*nachi sustententur, ut pro nobis & Impe-*  
*rio nostro orent.* S. Sabas respondit: *non*  
*opus est Monachis his Reditibus.* Pars  
ipforum est Dominus, qui in Deserto Pa-  
nem de Cælo super Populum rebellem pluit.  
Hæc solummodo pro Fidelibus Palæstinæ a

S. Sabas.

Hh 5 te

Sæculum VI. te petimus; Tributorum remissionem, Ec-  
 A. C. 531. clesiarum, quas Samaritæ incenderunt, re-  
 parationem, opem Christianis, quos latro-  
 nes bonis spolarunt, & ad exiguum nu-  
 merum redegerunt, Hospitium Jerosoly-  
 mæ pro Peregrinis ægrotantibus ædifi-  
 candum, Perfectionem Ecclesiæ Matris  
 Dei ab Elia Patriarcha ædificari cœptæ,  
 & tandem ut ad repellendas Saracenorum  
 irruptiones in Deserto infra Monasteria,  
 quæ fundavi, Arcem munitam construas.  
 Si quinque hæc opera perfeceris, confido,  
 mercedem fore, ut Deus Imperio tuo addat  
 Africam, Romam & Ditiones reliquas,  
 quas Honorius possedit, & Antecessores  
 tui amiserunt. Sed & hanc conditionem  
 adjicio, ut a triplici monstro, seu Arii, Ne-  
 storii & Origenis Hæresi Ecclesias liberes.  
 S. Sabas Arianorum nomine Gothos &  
 Vandalo indicabat, & Nestorianorum  
 Defensores Theodori Mopsuesteni; ho-  
 rum enim aliquos inter Monachos ipsius  
 Comites reperire erat. Præterea unus  
 erat, scilicet Leontius Constantinopol-  
 itanus, qui Concilii Calcedonensis defen-  
 dendì specie Doctrinam Origenis tueba-  
 tur. Hunc vero S. Sabas a sua Societa-  
 te revulsit.

o. 73.

Imperator omnia, quæ petierat, con-  
 cessit. Missis ad Petrum Patriarcham  
 Jerosolymitanum & Palæstinæ Magistra-  
 tus litteris mandavit, ut Antonius Epis-  
 copus

copus Ascalonensis & Zacharias Episco- Sæculum VI.  
pus Pellanus viserent vicos a Samaritis A.C. 531.  
incensos in prima & secunda Palæstina, <sup>S.Sabas Con-</sup>  
iisque pro ratione damni, quod unum- stantinopoli.  
quodque oppidorum illorum passum fu-  
isset, mille trecenti solidi aurei de Tribu-  
tis nonæ & decimæ Indictionis id est anno-  
rum 531. & 532. remitterentur. Iisdem  
Episcopis præceptum, ut Ecclesiæ exu-  
stas explorarent, & omnia illis restauran-  
dis necessaria ex ærario publico, aut ex  
Bonis Samaritanorum acciperentur. Ste-  
phanus Comes in omnibus his Episcopos  
adjuvare jussus est. Mandavit quoque  
Imperator, ut in media Civitate Jero-  
lymitana ædificaretur Nosocomium, &  
huic primum contulit redditus 1850. Soli-  
dorum aureorum, quibus lecti centum  
compararentur. Postea parem Summam  
comparandis centum aliis adjecit. Item  
Jerosolymæ Ecclesiam novam S. Virginis  
cura Patriarchæ & Barachi Episci Ba-  
catheni, qui operis præfuit, ædificavit.  
Hujus Structuræ annis 12. perfectæ &  
magnifice decoratæ Architectus Theodo- *Procop. 5.*  
rus fuit. Tandem etiam Justinianus Ca- *ædif. c. 6.*  
strum Monachorum S. Sabæ Præsidium  
extruxit, milites imposuit, & stipendia  
decrevit. Itaque quinque opera a S. Sa-  
ba petita implevit. Quadam die dum  
Tribuniano Quæstori colloquens varia  
imperat, S. Sabas relicto Imperatore se-  
cessit,

Sæculum VI. cessit, ut Tertiam recitaret. Jeremias  
 A. C. 531 Diaconus majoris Lauræ incola unus ex  
 Discipulis ipsius dixit: *Pater! cum Imperator omnibus, quæ petis, clementissime annuat, quare a latere ejus avelleris?* S. Senex respondit: *Fili! illi quod ipsorum est, & nos, quod nostrum est, peragimus.*

## §. XXX.

## S. Sabæ obitus.

e. 74. Sanctus Sabas acceptis Imperatoris mandatis reversus Mense Septembri Indictionis nonæ eodem anno 531. in Pæstinam pervenit. Contulit se Jerosolymam, Mandata Imperatoris aperuit, & allatas Constantinopoli pecunias in sua Monasteria distribuit. Tum Patriarchæ & Episcoporum precibus dedit, ut iret, eadem Mandata Cæsareæ & Scytopolis civibus manifestaret, & effectui dari curaret. Inde rediit Jerosolymam, ut Sacra loca viseret, quasi valedicturus, tum tandem ad magnam suam Lauram delatus, paulopost in morbum incidit. Hoc comperto Petrus Patriarcha ad eum invisit, cumque in ejus cellula nihil, quo ægrotans refocillari posset, nisi siliquas, & veteres Dactylos invenisset, Lecticæ impositum ad ædes Episcopales deferri jussit, ubi manibus suis ministrans ejusdem curam gessit. Viro Sancto Cœlitus revelatum, se post pauculos dies moritum;

e. 75.